



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. V. Quid Augustinus senserit de operibus factis ab homine in peccato
seu charitate carente?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

dicit August. Paulum, quamvis de se dicat, secundum iustitiam legis fuisse sine querela, nihilominus potuisse non placere Deo in illis operibus, quia spiritu servili illa faciebat; ergo multo magis id credibile est de illis magnis peccatoribus, quorum sacrificia offerrentur à peccatoribus sana intentione, & cum debitis circumstantiis, non essent mala, nec displicerent Deo ratione sui, vel in ordine ad aliquod supplicium, licet ratione personæ non essent accepta, nec fortasse fructuosa. Quod etiam per quandam exaggerationem, & ad incutiendum timorem potuit illis verbis indicari.

18. Ad testimonium Matth. 7. generalis responsio esse potest, sensum illius pronuntiati Christi Domini, *Non potest arbor bona, &c.* esse formalem, quia si ut bona operetur, facit fructus bonos, & non malos, & è contrario. At vero si arbor sit libera, ut est homo, quia semper habet naturam bonam, potest, licet malus sit, non operari ut malus, sed ut habet voluntatem, & rationem de se bonam. In particulari vero iuxta circumstantias loci applicanda erit regula, seu responsio ad varias arbores. Ut in dicto loco Matth. 7. sermo est de fide, seu doctrina, & bona arbor dicitur sana doctrina, mala vero doctrina hæretica, seu falsa: tractat enim Christus de veris, & falsis prophetis, & quia hi solent operari iuxta fidem suam, ideo de illis dicitur, ex fructibus esse cognoscendos, quia fieri non potest, quin sæpe operentur iuxta fidem suam, & tunc ex mente mala oriuntur actiones malæ, & ex bona bonæ. Aliquando vero arbor bona dicitur homo ratione voluntatis bonæ, & mala arbor ratione voluntatis vitiosæ, ut in simili loco Matth. 12. ait Christus, *Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam.* Supponens, hoc esse in libertate voluntatis, & tunc etiam optimè applicatur regula, & ita eadem voluntas, quæ diuersis rationibus bona, & mala est, potest nunc benè, nunc male operari.

19. Dices, ergo simpliciter verum non est, arborem malam non posse bonos fructus facere, nec etiam est verum, ex fructibus cognosci talem arborem, quia potest esse mala, & non ut mala operari. Respondet Maldonat. ibi, impossibile, ibi sumi pro difficili, & illud signum esse probabile, & moralem coniecturam: non evidens principium, quod est probabile. Dici etiam potest, illud non potest, non referri ad singulos actus, sed ad integritatem vitæ, vel doctrinæ. Nam falsus propheta multa vera docebit, tamen si tota doctrina inspicatur, semper aliquid falsum miscbit. Item hypocrita sæpe bene operatur, & vere, tamen si observetur, tandem exhibebit fructum suæ hypocrisis. Et similiter in nostro puncto peccator interdum benè operari poterit, tamen si in eo statu perseveret, fructum malum proferet. Et ratio est, quia licet causa libera possit diuersis modis operari, tamen si male affecta sit, non poterit se continere, quin interdum ita operetur.

20. Ad Catharinum respondemus, falsum esse vtrumque eius fundamentum. Et de primo quidem, scilicet, de circumstantia ultimi finis sæpius in sequentibus capitulis dicendum est, nunc breuiter dicimus, ad bonitatem actus non esse necessarium, ut fiat ab homine referente sua opera in Deum super omnia dilectum per proprium actum præsentem, vel præteritum, alioqui peccaret etiam baptizatus, & iustus aliquid operans ante actum dilectionis Dei super omnia: peccaret etiam denique peccator, qui ante iustificationem & dilectionem Dei super omnia attritionem, aut alium similem actum poenitentiae, orationis, vel elemosynæ efficeret. Vnde necessarium non est ad bonitatem moralem actus, quod homo habitualiter diligat Deum super omnia, aliàs eadem absurda sequerentur. Ratio vero est, quia talis relatio, seu circumstantia nec ex natura rei necessaria est, nec per legem Dei positivam inuenitur præcepta, sufficit

enim, ut actus sit de bono obiecto propter honestatem eius, & quod in eo finis ultimus non constituitur, nec alia praua circumstantia addatur, ut sit bonus simpliciter, & ut per se tendat in Deum ultimum finem, licet ab operante aliter non referatur. Alterum fundamentum ad Lutheranorum errorem accedit: nam ex illo inferri potest, vel omnia opera hominis lapsi esse peccata, vel saltem omnia opera hominis nondum iustificati. Respondetur ergo, licet carentia iustitiæ, id est, gratiæ habitualis, aliquo modo voluntaria, sit peccatum, nihilominus non semper peccare, qui aliquo tempore permanet in illo statu, & ideo, non etiam peccare, etiam si in illo statu aliquid boni operetur. Adde, etiam iustum sæpe operari bonum non ex habitu, quia potest esse iustus non habens habitus acquiratarum virtutum, & operari actus ad illas tantum pertinentes; illi ergo actus non erunt ex habitu acquisito, quia non est, neque ex infuso, quia non est principium talium actuum; ergo etiam illi actus essent mali, quod absurdissimum est. Possunt autem illi actus dici fieri cum habitu, gratiæ, seu infuso, hæc autem necesse est propria circumstantia talis operis, nec conditio ad bonitatem eius necessaria, quia nulla lege præcipitur, ut dictum est.

Ad Baium etiam ex dictis facilis est responsio: Nam imprimis distinctio illa de peccatore simul iustificato, vel carente iustitia, ut erronea reiicienda est, quia non datur talis status, veram iustitiam cum mortali peccato coniungens, & est impertinens, quia ostensum est, etiam sine habitu gratiæ posse peccatorem interdum benè operari. Deinde omnes propositiones relatæ ante ultimam, ex dictis explosæ sunt, grauisimisque continent errores, & plane voluntarios sine villo fundamento. Ultima etiam, seu 38. propositio, quod duplex tantum sit amor, vitiosus, vel charitatis; falsa est quoad exclusionem, datur enim etiam amor naturalis Dei. Item amor spei, seu sanctæ concupiscentiæ eiusdem Dei, item amor boni honesti, vel in genere, vel in particulari, & omnes isti amores ex genere suo boni sunt, & possunt esse in peccatore sine circumstantia mala.

CAPVT V.

Quid Augustinus senserit de operibus factis ab homine in peccato, seu charitate carente.

Contra doctrinam capituli superioris afferri possunt multa ex Augustini doctrina, in quibus Baius suam sententiam fundat, quæ, quia difficultate non carent, & ad sequentia possunt esse utilia, & necessaria, diligentius tractanda sunt. Primo ergo obstat, quod in libro 1. retract. cap. 15. ait, *Quantum loci est, quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si 1. Locum.* pia est, utoret auxilium. Sentit ergo impiam nihil boni posse, vnde addit, *In tantum libera est, in quantum libera est, & in tantum appellatur voluntas.* Quid est autem esse liberatam, nisi esse iustificatam, loquitur enim Augustinus de liberatione à peccato. Vnde subiungit, *Alioquin potius cupiditas, quam voluntas appellanda est.* Dicitque, hoc esse vitium, à quo non sanamur, nisi gratia Salvatoris. Et propterea solent ex hoc loco Augustini referri hæc verba, *Voluntas sine charitate non est, nisi vitiosa cupiditas.* Quæ in illo formaliter non inuenio, licet aliquid simile significauerit lib. 3. de Doct. Christian. cap. 10. de quo loco inferius dicam. Secundo, lib. de Mori. Ecclesiæ, cum cap. 14. dixisset, esse beatum nihil aliud esse, quam inherere summo bono, quod est Deus solus, cui inherere non valeamus, nisi dilectione, amore, charitate. Subiungit cap. 15. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmauerim, nisi summum amorem Dei.* Et hinc virtutes omnes morales per Dei amorem postea definit.

Ter-

Cap. V. Quid Aug. senserit de operibus factis ab homine in peccato, &c. 241

^{2.} Tertium, & difficile argumentum est, quia interdum indicat Augustinus, non posse esse opus bonum, quod sine charitate sit, ut lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 18. sic ait, *Precepta charitatis tanta, & talia sunt, ut quidquid se putaueris homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Et lib. 1. de Gratia Christi, cap. 26. *Quid boni faceremus, nisi diligeremus?* Et infra, *Vbi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte bonum opus vocatur, quia quod non est ex fide, peccatum est.* Vbi consequutio literæ petit, ut fidem viam intelligat, & id eo subdit, *Et fides per charitatem operatur.* Et simili modo videtur loqui Prosper ad Demetria. non longe à fine, dicens, *Amare aliquid, quod non ex opere, & Spiritu Dei sit, non est casta dilectio.* Aliud etiam argumentum difficius sumi potest ex doctrina Augustini, qui non aliter sentit de bonis operibus fidelium peccatorum, quam de bonis operibus infidelium, sed in infidelibus nullum agnoscit simpliciter opus bonum; ergo nec in fidelibus peccatoribus. Hoc autem argumentum pro capite 7. omittimus, quia ibi ex professo de infidelibus tractandum est, & consequenter dicemus, an vera sit æquiparatio inter infideles, & fideles peccatores quoad operandi bonum, & quomodo intelligenda sit.

^{3.} Ad priora igitur testimonia primum generatim dico, duo præsertim intendere Augustinum in sua doctrina, cum de operibus bonis loquitur, vnum est, hominem non adiutum diuina gratia vix, aut nullo modo posse aliquid facere, quod simpliciter bonum sit, id est, quod nulla malitia careat. An hoc intelligendum sit cum rigorosa distributione, ita ut nihil omnino possit homo facere sine gratia, quod peccaminosum non sit, dicemus postea cap. 6. & 7. Hic enim non est necessarium, quia de homine peccatore, & fidei nunquam cum tanto rigore loquitur Augustinus. Aliud est, opus, quod non sit propter Deum, vel ex charitate Dei, non mereri nomen virtutis, aut boni simpliciter. In quo loquendi modo aliud est, opus non habere bonitatem aliquam sine admixta morali malitia, aliud est, non mereri nomen boni simpliciter, seu quasi antonomastice. Nam hic posterior loquendi modus non in hoc fundatur, quod necesse sit, opus habere aliquam moralem malitiam, vti illi non tribuatur nomen boni, aut virtutis simpliciter, sed satis est, ut opus non sit fructuosum villo modo ad veram beatitudinem, ita ut neque proximè, neque remotè ad illam conferat, neque ex se conferre possit, nisi aliqua bonitas altiori illi addatur. Et hanc interpretationem sumo ex D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 2. vbi Caietanus rectè illam explicat, dicens, secundum moralem philosophiam censeretur virtutes, quæ sub lumine supernaturalis sapientiæ spectant non censentur virtutes simpliciter, nisi ultra suum gradum subleuentur, idem enim est de operibus bonis. Et quamuis D. Thomas non alleget prædicta loca Augustini, tacitè illa exponit, & in fine ita declarat duriorem loquutionem, quam Augustino tribuit, vti illud, *Quod non est ex fide, peccatum est, dicenti, Vbi desit agnitio veritatis, falsa est virtus:* intelligit enim D. Thomas per falsam virtutem, non quæ sit ficta virtus, seu per hypocrisis, sed quæ est quasi umbra, & nihil respectu Christianæ virtutis. Sicut aurichalcum respectu auri, licet verum metallum sit, & suum valorem habeat, comparatione auri dicitur falsum aurum. Sicut etiam Paulus dixit, elemosynam sine charitate nihil esse, licet morali modo aliquid sit. Hoc autem modo in multis locis esse loquutum Augustinum sentit idem D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 4. & 8. & ex dicendis hic & sequenti cap. planum fiet.

^{4.} In primo igitur loco cum Augustinus interrogat, *Quantum est, &c.* Nō indicat, nihil omnino esse, quod voluntas peccatoris potest, sed parum esse, ac ferè nihil, nisi per gratiam saltem mouentem, & auxiliantem iuuetur, per quam ait, saltem orare posse, ut cætera possit. In quo potius indicat, aliquid posse, etiam

si nondum per inhabitantem gratiam iustificata sit. Vnde cum ait, *Si pia est*, non oportet intelligi, id est, si sancta est, sed simpliciter, si ad pietatem euecta est, siue per integram sanctificationem, siue saltem per fidem. Nam per fidem potest orare, &, ut Augustinus in aliis locis docet, impetrare à Deo, ut sanctificationem, quam per eandem fidem inchoauerat, ipsemet perficiat. Nam infideles respectu fidelium, etiam peccatorum, solent impij vocari, omnes autem, qui per fidem cultum veri Dei profitentur, pij censentur; imo etiam Sancti in Scriptura interdum appellantur. Et eodem modo per voluntatem liberatam, potuit intelligere Augustinus, vel voluntatem iam sanctificatam, & à seruitute peccati plenè liberam, vel etiam liberatam ex parte quoad illuminationem fidei, quæ licet non tollat culpam, liberat à cecitate, & ignorantia, quæ nunc est vulnus peccati. Et idè rectè dicit, *Voluntatem in tantum esse liberam*, Vtique à seruitute, & vulnere peccati, *In quantum est liberata*, Scilicet, vel inchoatè, vel integrè, & tantò etiam est validior, quantò magis liberata est. Quod autem ait, voluntatem nullo modo liberatam potius vocari cupiditatem, quàm voluntatem, non est ita intelligendum, quasi voluntas à concupiscentia necessario feratur, neque quia non possit aliquid boni contra illam interdum agere, sed quia tam parum, id est, ut quasi nihil quoad denominationem reputetur. Quando enim duo contraria mista sunt in eodem subiecto, illud simpliciter denominat, quod in potestate, & ætione aliud vincit. Sic ergo de voluntate non sanata, & concupiscentiæ effrenatæ coniuncta Augustinus philosophatur.

^{5.} In secundo autem loco euidenter loquitur de appellatione virtutis in significatione à nobis in secundæ notatione declarata, neque aliter possent subsistere definitiones virtutum moralium, quas ibi tradit, ut per se notum erit intrinseci. Alluditque illo loco ad verba Pauli 1. ad Corint. 13. *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, &c.* Quæ omnia de operatione per imperium intelliguntur, ideoque Augustinus virtutes morales Christianas, & fructuosas per ordinem ad imperium charitatis definit, illudque ad earum absolutam perfectionem, & fructuosam requirit. Et ita exposuit D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 4. ad 1. & ar. 7. ad 1. Simili ferè modo potest exponi locus Prosperi, nam *casta dilectio* vocari potest illa, quæ est ex pura charitate, & propter Deum, & videtur ita se exponere Prosper, cum subdit, *De hac charitate sine dubio Apostolus loquebatur, & ipsius proprietates subtilissimis discretionibus eliquabat, dicens, Si linguæ hominum loquar, &c.* Vbi constat, sermonem Pauli esse de propriissima, & supernaturali charitate. Specialiter autem vocat Prosper hanc dilectionem castam, quando excludit humanam præsumptionem, quæ quæ sibi attribuit talem dilectionem, & non gratiæ diuinæ, & sic ait, *Amare aliquid non ex Spiritu Dei, scilicet gratiæ, non esse castam dilectionem.* Et sufficere tensatori castas, & sublimis animas hac tentatione violasse.

^{6.} Circa tertium & quartum locum paululùm immorandum est, quia nonnulli exponunt Augustinum, ut in illo, & similibus locis per charitatem intelligat amorem honesti, quæ honestum est, siue bonum virtutis ad Deum, siue ad proximum, siue ad operam pertineat. Hoc colligunt ex eo, quod in eodemmet loco dicit Augustinus, *Gratia nos efficit legi dilectores, lex sine gratia prauaricatores.* Ergo sentit, idem esse operari ex charitate, quod operari ex dilectione legis, quæ eadem est cum dilectione virtutis. Videturque multum indicare hunc sensum Augustin. lib. 1. contra duas epist. Pelagianor. cap. 9. vbi solum illud opus bonum esse dicit, quod fit ex amore iustitiæ, seu ex voluntate bonè faciendi. Hanc ergo voluntatem vocauit alibi charitatem. Et hoc etiam modo distinguit operationem ex timore omnino seruili, quod ita continet manum, ut animum non auertat, quia si impudè posset,

posset, contra legem faceret. Similia habet lib. 2. contra eandem epist. ca. 9. & lib. de Spirit. & Liter. cap. 32. Quod si hæc expositio Augustini vera est, faciliè explicatur loca citata, nam sensus erit, nullum esse bonum opus, nisi quod sit ex amore honesti, seu virtutis, nam si fiat propter bonum non honestum, eo ipso opus virtutis non est.

7.
Non placet
responsio
prædicta.

Verumtamen hæc expositio nullo modo accom-
modari potest priori testimonio ex lib. de Grat. & li-
bero arbitrio. Nam capit. decimo sexto incipiens de
charitate loquitur, ita explicat, quid per charitatem in-
telligat, dicens, *Istam charitatem id est, diuino amore ar-*
dentissimam voluntatem commendans Apostolus dicit, Quis
nos separabit à charitate Christi, &c. Et de hac consequen-
ter explicat totum capit. 13. 1. ad Corinth. & illud ad
Galat. 1. *Per charitatem seruimus inuicem*: & id ad Coloss. 3. *Super omnia autem charitatem habentes, quod est vincu-*
lum perfectionis. Et alia quamplurima Scriptura loca,
in quibus euidenter sermo est de propria virtute cha-
ritatis, & de præceptis eius, diligendi Deum, & pro-
ximum, & statim incipit in capit. decimo septimo
dicens, *Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis,*
quæ tanta, & talia sunt, vt quidquid se putauerit homo fa-
cere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene. Hæc er-
go præcepta charitatis inanimiter dantur hominibus non ha-
bentibus liberam arbitrium, sed quia per legem dantur, &
ex sine gratia, littera est occidens, in gratia verò spiritus vi-
uificans, vnde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi
ex ipso Deo? Ergo ex hoc contextu planè est, Augusti-
num ibi loqui de proprijs, & formalissimam cha-
ritate suprema virtute Theologica. Quidquid ergo
sit de alijs locis, de quibus statim, huic non potest ac-
commodari illa expositio.

8.
Neque si su-
am nos efficiere legi dilectores.
Quia vel gratia includit
aut alter du-
gust. locum.

Neque inuatur, quod infra dicit Augustinus, *Gra-*
tiam nos efficiere legi dilectores. Quia vel gratia includit
charitatem, quæ nos facit legis dilectores imperan-
do eius obseruationem, vel si gratia pro auxilio gra-
tiæ sumatur, dicitur, nos facere legis dilectores, quia
facit, vt bene, id est, ex dilectione Dei præcepta ser-
uemus, iuxta illud Ioannis decimo quarto. *Si quis di-*
ligit me, sermonem meum seruabit: & iterum, *Si diligitis*
me, mandata mea seruauit. Vbi constat, aliud esse dilige-
re, aliud præcepta seruare, licet plenitudo legis dica-
tur esse dilectio, vel quia in illa virtute continetur,
vel causaliter, quia dilectio secum affert obseruan-
tiam præceptorum. Et idè contrariò dicitur su-
pra, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui dili-*
git me: ex effectu radicem colligendo, vt explicuit Io-
an. 1. canon. cap. 5. dicens, *In hoc cognoscimus, quia dili-*
gimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius fa-
ciamus. Vt Augustinus etiam eodem loco explicuit,
in illo ergo loco, cum dicit, quod sine charitate sit,
non bene fieri, necessariò exponendum est iuxta se-
cundum documentum supra positum, vt Theologi-
co, & Christiano modo intelligatur, id est, non sit
perfectè, & fructuosè, plus enim est, quod Paulus de
operibus sine charitate factis dicit, nihil prodesse, i-
mò, & nihil esse.

9.
Neque item
locum alter.

Neque magis potest illa expositio quadrare alteri
loco ex libro primo de Gratia Christi. Nam in prin-
cipio illius capituli conatur adducere Pelagium, vt fa-
teatur, charitatem esse ex gratia Dei, & affert illud
Scientia inflat, charitas adificat, 1. Corinth. 8. vbi Pau-
lus de propria charitate loquitur, neque enim ab illo
vox sumitur, vnde subiungit, *Si quis diligit Deum, hic*
cognitus est ab eo. De eadem ergo loquitur Augustinus,
vt etiam consequenter satis explicat, dicens, *Tunc sci-*
entia non inflat, quando charitas adificat: & cum sit, v-
trumque donum Dei est, vnum minus, alterum maius. Al-
ludens ad locum Pauli 1. Corinth. 13. vbi charitatem
præfert fidei. Deinde vt probet, hanc charitatem nul-
la merita antecedere, addit, *Nam quæ merita bona tunc*
habere poteramus, quando Deum non diligebamus? Loquitur
ergo de charitate, quæ in Dei dilectione consistit,
& affert locum 1. Ioann. 4. vbi de eadem charitate, &

dilectione Dei aperè loquitur. Post hæc verò imme-
diatè interrogat Augustinus, *Quid autem boni facere-*
mus, nisi diligere? Quis ergo credat, in his verbis
loqui de alia dilectione, quam in omnibus præceden-
tibus? Accedit, quod infra in confirmationem adducit
Pauli verba ad Galat. 5. *Fides per dilectionem opera-*
tur: quæ de propria charitate sine dubitatione intel-
liguntur. Denique concludit, *At per hoc gratiam Dei,*
quæ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum
S. qui datus est nobis, sic confiteatur, &c. Quid clarius?
Si enim Augustinus ipse sic explicat charitatem, de
qua tractat, & in prioribus, & posterioribus verbis
de illa loquitur, negari non potest, quin etiam in illa
interrogatione de eadem dilectione loquatur.

Quo sensu supposito, potest hic locus exponi iuxta
duo documenta in principio posita. Nam primò per
illam interrogationem non est necesse significari, ni-
hil boni fieri sine charitate, sed parum fieri: nam sta-
tim etiam interrogat, *Aut quomodo bonum non faci-*
mus, si diligimus? Et tamen non omnis, qui diligit, sem-
per bonum facit, tamen quia leue malum est, quod
diligit, perseverando in dilectione facit, & bona
magna facere potest, quantum est ex vi charitatis,
ideo locum habet illa interrogatio. Vel etiam potest
secundo modo exponi satis ad mentem Augustini in
illo loco, vt, quid boni, idem sit, quod quid fructuo-
sum, & conferens ad vitam beatam. Nam expresse
infra concludit, *Sic confiteatur gratiam, qui veraciter*
vult illam confiteri, vt omnino nihil boni sine illa, quod ad
pietatem pertinet, veramque iustitiam fieri possit non dubi-
tei. Illa enim limitatio, & determinatio, *Quod ad pie-*
tatem, &c. nō sine causa additur ab Augustino, sed vt
restringat sermonem ad opera bona, quæ iustitiam
apud Deum continent, quæ facile concedere possumus,
vel non esse in peccatore, si sermo sit de iustitia,
vt meritum perfectum includit, vel si aliquo modo
sit, esse modo imperfecto, & ita etiam esse ex aliquo
imperfecto amore, vel eius inchoatione, aut pia su-
pernaturali affectione. Vnde etiam notari potest,
non dixisse Augustinum ibi, sine charitate nullum
bonum opus esse, sed nullum bonum imputari, nec rectè
bonum vocari. Vtique quoad fructum, & secundum
Theologicam existimationem, vt in secundo puncto
notati. Probatio autem, quam affert Augustinus,
Quia omne, quod non est ex fide, peccatum est, habet spe-
cialem difficultatem, quam capite sequenti tractabi-
mus, nunc enim licet fateamur, non esse efficacem,
nihil præsentī instituto obstat.

Sed licet propter hæc testimonia non admittatur
illa expositio, videndum est, an phrasis illa, & loquu-
tio de charitate in illo sensu, sit admittenda in alijs
locis Augustini, nam in sequentibus sæpè necessitas
huius resolutionis occurrat. Respondeo igitur, nun-
quam Augustinum vocare charitatem, communem
amorem operandi bene propter honestatem cuius-
cumque virtutis, siue naturalis sit, siue supernatura-
lis. Vt hoc probem, suppono, charitatis nomen, &
tribui dilectioni Dei ad nos, & nostri ad Deum, &
hic de priori non tractari. Notare autem oportet,
non omnem amorem Dei ad nos, vocari in Scriptu-
ra charitatem, sed illum, quo nobis confert superna-
turalia bona, vel ad illa nos diligit, vt ad Ephes. 2. *Pro-*
pter nimiam charitatem suam, quæ dilexit nos, Deus Fi-
lium suum misit. Roman. tertio. *Commendat charitatem*
suam Deus, &c. & Ieremias 3. *In charitate perperua dilexi*
te, idè, &c. & 1. Ioann. 4. cum dixisset, *Deus charitas est,*
subdit, *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Fi-*
lium suum vnigenitum misit. Et ita nunquam charitas
tribuitur Deo respectu irrationalium, sed tantum re-
spectu intellectuum, & maxime hominum, vt le-
genti Scripturam facile constabit.

Simili ergo modo charitas, vt est in homine, non
solet in Scriptura significare, præsertim in nouo
Testamento, nisi dilectionem supernaturalem vel ad
Deum, vel ad proximum, vt constat fere ex omnibus Epi-
stolis

in alijs locis dicit, solam charitatem præcipi, & non excludit alia, ita hic, licet charitatem nominet, non excludit alios actus concupiscendi bonum, sed illum ponit vt fundamentum omnium, & inter omnia eminentem.

17.
Pars altera
loci explicatur.

Quod verò inferius ait Augustinus, *Quando incipit fieri bonum non amore iustitiæ, sed timore pœnæ, nondum fieri bene*: Facillimum est, quocumque modo ex supra dictis ibi sumat amorem iustitiæ, siue vniuersaliter pro amore honesti, siue per antonomasiam pro amore iustitiæ apud Deum, quæ est charitas. Nam aperte loquitur de timore omnino serui, qui non excludit prauum affectum voluntatis, & ita non sufficit ad bene operandum. Si autem loquamur de timore pœnæ moderato, & honesto, ille sine dubio sufficit ad bene moraliter operandum, licet non ad bene, id est, perfectè, & meritorie perse, & quasi propria virtute. Ad alium denique locum ex libro de Spirit. & Litter. iam responsum est, & ostensum, ibi etiam loqui Augustinum de vera, & singulari charitate infusa, & merito illi tribuere affectum iustitiæ, quia loquitur de iustitia perfectâ, & apud Deum, vt explicatum est. Alia verò difficultas restabat circa hæc loca Augustini, quia videtur omnia opera humana quasi adæquatè diuidere in ea, quæ sunt ex amore iustitiæ, vel timore pœnæ omnino serui, seu in ea, quæ sunt ex propria charitate, & ex inordinata concupiscentia, cum tamen hæc non sint adæquatæ. Sed de hoc puncto dicemus melius in cap. 7.

CAPVT VI.

Virum gratia fidei sit necessaria ad quodlibet opus moraliter bonum, etiam ordinis naturalis faciendum?

1.
Quæstionem
tractandi
causa.

DE necessitate fidei ad opera supernaturalis ordinis in libro sequenti dicturi sumus, quia verò etiam ad opera moraliter tantum bona ab aliquibus reputata est fides necessaria, saltè mortua, licet viua necessaria non sit, idè quæstionem hanc proponimus, quæ in re coincidit cum alia, quæ in materia de fide tractari solet, scilicet, an omnia opera infidelium sint peccaminosa; illius tamen fundamentum proprium est huius materiæ, & eius resolutio necessaria ad sequentia, & idè hic expedienda est. Duo ergo genera infidelium distinguere possumus, vnum cognoscentium, & colentium vnum verum Deum per lumen naturæ, vel traditione humana cognitum, vt sunt pagani; & potuerunt esse aliqui naturales Philosophi; & in hoc ordine Iudæos, & hæreticos numeramus; aliud ignorantium verum DEVM, & vel idola colentium, vt gentes, vel nullum cultum Religionis habentes, vt Athei. Iuxta hæc ergo duo genera infidelium duplex fuit in hoc puncto sententia.

2.
1. Sententia
Hæreticorum
& aliorum
Eccl.
Lincon.

Prima est, nullum infidelem etiam cognoscentem Deum, posse actum bonum efficere, siue per vires naturæ, siue per auxilium gratiæ. Hæc sententia tribuitur Linconensi in sermone quodam de Aduentu, quem videre non potui. Ex Scholasticis verò nullus tam generaliter loquutus est, præter Michaelē Baïum, cuius vigesima sexta propositio fuit, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. Lutherus autem, & sequaces à fortiori hoc dicunt, cum de fidelibus, imò & iustis id asserant. Fundari potest in illo Pauli Romanor. decimo quarto. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Quod de fide Theologica virtute, & de omni opere facto ab homine, illam non habente, sæpè intelligit Augustinus, cuius sententiam, & aliorum, qui illum sequuti sunt, capite sequenti expendemus. Citatur etiam pro hac sententia, & expositione Gregor. Nissen. libr. de Perfecti hominis Christiani forma. Sed in eo, quo vtor,

non inueni librum sub hoc titulo, sed tantum Epistolæ Harmonium sub titulo, quid nomen, vel professio Christiana sibi velit, vbi nihil de hoc dicit. Additur præterea illud ad Titum 1. *Infidelibus nihil est mundum*. Et ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*; Ergo nec bonum opus esse, quia si opus esset bonum, placeret Deo.

Rationem pro hac sententia tam latè sumpta, nullam ferè inuenio, quæ in homine infideli agnoscente Deum locum habeat, & non in fidei peccatore: nisi fortasse, quòd infidelis non potest vilo modo diligere DEVM propter seipsum, fidelis autem potest aliquo modo diligere DEVM propter se, saltè amore affectiuo imperfecto, quod satis est, vt referat suum opus in Deum modo sufficente ad bonitatem moralem operis; infidelis autem id non possit. Alia item ratio posset excogitari, si quis diceret, Deum ratione fidei præparare fidelibus etiam peccatoribus auxilia, seu cogitationes congruas ad bene operandum, quas non præparat infideli, quamdiu fide caret.

Secunda sententia distinguit infideles agnoscentes, & ignorantes Deum, duoque affirmas. Vnum est infideles cognoscentes DEVM posse habere opera moraliter bona, saltè ex aliquo speciali auxilio Dei. Aliud est, infideles omnino ignorantes verum Deum, nullum opus morale omni ex parte bonum facere posse. Hæc fuit sententia Gregorij, in secunda distinctione trigesima nona, quæstione prima, articulo secundo, coroll. 3. cuius primum dictum nos libenter admittimus, quod infra probabimus. Secundum autem probatur ab eodem Gregorio, quia sine intentione bona, non est opus bonum, & multò minus cum mala; sed in huiusmodi infideli non potest esse intentio bona; imò semper est mala; ergo & operatio semper est mala. Maior constat ex illo Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit*. Vbi nomine oculi intentio significatur, vt omnes exponunt. Et ratio est, quia in moralibus finis dat speciem actui, & consequenter etiam bonitatem, & malitiam, vt Gregor. supra latè probat conclus. 2. & nos nunc vt clarum, & verissimum supponimus ex 1. 2.

Probatur ergo minor quoad priorem partem, quia finis bonus requisitus ad bonitatem actus moralis non solum debet esse proximus, sed etiam vltimus, imò hic potissimè, quia est causa prima in illo genere, & idè maxime influit iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 1. articulo 4. & 5. Sed infidelis ignorans Deum, non potest habere ipsum pro vltimo fine; ergo nec potest habere in suis operibus bonum vltimum finem. Consequentia clara est, quia vltimus finis honestus hominis tantum est Deus: nam summa peruersitas est, finem vltimum in creaturis constituere, quia creaturis vtendum est, non fruendum, vt sæpè docet Augustinus de Doctrina Christiana libro primo, capitulo quarto, quinto, & vigesimo secundo, & libro 9. de Trinit. cap. 8. & libro 83. quæstionum 30. & libro 11. de Ciuit. capitulo 25. Minor autem probatur, quia infidelis ignorans Deum, nō potest aliquod opus suum referre in Deum tanquam in finem, quia intentio, seu relatio in finem supponit cognitionem. Ex qua probatione obiter constat, Gregorium loqui de relatione in finem facta per proprium actum ipsius operantis, siue relatio illa fiat per actum, qui simul sit cum opere relato, quæ solet dici relatio formalis, siue per præcedentem, quæ solet dici relatio virtualis, & in hoc sensu intelligit, quod in Maiori sumit, relationem in vltimum finem bonum, esse necessariam ad bonitatem operationis. Quæ potest in eodem sensu suaderi, tum ex doctrina Augustini in locis proximè citatis, quia quoties aliquid amatur propter se, ita vt neutro modo ex dictis referatur in alium vltiorem finem, eo ipso amatur vt finis vltimus, quia in eo sistit intentio operantis, & non ultra tendit,

3.
Rationem
quia excogitari
potest
pro prædicta
sententia.

4.
1. Sententia
Gregorij duo
dicta.

Primum dictum
admittitur.

Secundum
vero probatur
ex Gregor.

5.
Prosequitur
probanda
Gregor. an.